

*Fons aquæ salientis in vitam æternam.*

✠ Léctio sancti Evangélii  
secúndum Ioánnem

4, 5-15.19b-26. 39a. 40-42

In illo témpore:

<sup>5</sup> **V**enit Jesus in civitátem Samariæ,  
quæ dicitur Sichar,  
iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph fílio suo;  
<sup>6</sup> erat autem ibi fons Iacob.

Jesus ergo fatigátus ex itínere  
sedébat sic super fontem;  
hora erat quasi sexta.

<sup>7</sup> Venit múlier de Samaría hauríre aquam.

Dicit ei Jesus:

«Da mihi bóbere»;

<sup>8</sup> discípuli enim eius abíerant in civitátem,  
ut cibos émerent.

<sup>9</sup> Dicit ergo ei múlier illa Samaritána:

«Quómodo tu Iudáeus cum sis,  
bóbere a me poscis,  
quæ sum múlier Samaritána?».

Non enim coutúntur Iudáei Samaritánis.

<sup>10</sup> Respóndit Jesus et dixit ei:

«Si scires donum Dei  
et quis est, qui dicit tibi:  
“Da mihi bóbere”,  
tu fórsitan petísses ab eo  
et dedísset tibi aquam vivam».

<sup>11</sup> Dicit ei múlier:

«Dómine, neque in quo háuriás habes,  
et púteus altus est;  
unde ergo habes aquam vivam?

<sup>12</sup> Numquid tu maior es patre nostro Iacob,

qui dedit nobis púteum,  
et ipse ex eo bibit  
et filii eius et pécora eius?».

<sup>13</sup> Respóndit Iesus et dixit ei:  
«Omnis, qui bibit ex aqua hac, sítiet íterum;  
<sup>14</sup> qui autem bíberit ex aqua, quam ego dabo ei,  
non sítiet in æténum,  
sed aqua, quam dabo ei,  
fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam æténam».

<sup>15</sup> Dicit ad eum múlier:  
«Dómine, da mihi hanc aquam,  
ut non sítiam neque véniam huc hauríre.

[16-19a]

<sup>19b</sup> Dómine, vídeo quia prophéta es tu.  
<sup>20</sup> Patres nostri in monte hoc adoravérunt,  
et vos dícitis quia in Hierosólymis est locus,  
ubi adoráre opórtet».  
<sup>21</sup> Dicit ei Iesus:  
«Crede mihi, múlier,  
quia venit hora  
quando neque in monte hoc neque in Hierosólymis  
adorábitis Patrem.  
<sup>22</sup> Vos adorátis, quod nescítis;  
nos adorámus, quod scimus,  
quia salus ex Iudáis est.  
<sup>23</sup> Sed venit hora, et nunc est,  
quando veri adoratóres  
adorábunt Patrem in Spíitu et veritáte;  
nam et Pater tales quærít, qui adórent eum.  
<sup>24</sup> Spíritus est Deus,  
et eos, qui adórant eum,  
in Spíitu et veritáte opórtet adoráre».  
<sup>25</sup> Dicit ei múlier:  
«Scio quia Messías venit — qui dícitur Christus —;  
cum vénerit ille,

nobis annuntiábit ómnia».

<sup>26</sup> Dicit ei Iesus:

«Ego sum, qui loquor tecum».

[27-38]

<sup>39a</sup> Ex civitáte autem illa  
multi credidérunt in eum. [39b]

<sup>40</sup> Cum veníssent ergo ad illum Samaritáni,  
rogavérunt eum, ut apud ipsos manéret;  
et mansit ibi duos dies.

<sup>41</sup> Et multo plures credidérunt propter sermóнем eius;

<sup>42</sup> et mulíeri dicébant:

«Iam non propter tuam loquélam crédimus;  
ipsi enim audívimus  
et scimus quia hic est vere Salvátor mundi!».

Verbum Dómini.